



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Imbecillus fortiori affurgens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

## DE OTIDE CAP. XVIII.

**OTIDAE** Græci dicunt, quas aves Tardas Hispania, damnatas in cibis: propterea quod offibus ejus effractis, teter odor ex medulla ad tædium usque extemplo sequitur. Sed enim Xenophon earum carnem ait multo suavissimam. De tarditate idem tradit, & faciles captu asserit, quod nihilo quam Perdices longius provolent, celerrimeque fatigentur. Ægyptii Sacerdotes hanc quoque hieroglyphicis annumerarunt. *Plin. lib. 10  
3. eadem*

## IMBECILLUS FORTIORI ASSURGENS. CAP. XIX.

**Q**uippe si hominem imbecillum qui ferociori potentiorique assurgeret, in ac rebus gerendis sententiaque dicendis primas illi partes cederet, significare ii vellent, aut ita faciendum admonere, Otidem avem, & Equum adpingebant: illa siquidem simulac Equum aliquem in conspectu habuerit, nihil quicquam contata, illum quadam veluti venerationis ostentatione excipit: circumque volitando, & subsequendo deducendoque, officium facere quodammodo videtur.



Otidis demissio.

## NIL ALTUM SAPIENS.

## CAP. XX.

**C**um vero Otis omnino avis sit, animi est identidem signum: alatus enim animus passim apud Platonem. Sed hæc animum indicat ignavum ac stupidum: quippe quæ tarda est, corpulentiaque adeo gravis, ut vix sese terra attollat, ita terreni etiam affectus, quo quispiam detineatur, indicium est: quippe qui nihil sublimè sapiat aut meditentur.

## CONTUMAX. CAP. XXI.

**A**t si quis contumacem aliquem & monitoribus asperum, ab omnique bono opere alienum, hieroglyphico referre voluerit, aptè Otidem & Canem pinget: nulla enim avis Canem exhorret, nisi prater Otidem, quæ suæ sibi conscia tarditatis, simulac Canem conspexerit, latrantem audierit, statim arrepta fuga se condit in latebras. Per Canem autem suo commentario, Sacerdotem præcipue significari diximus in templis concionantem, de divinis, de pietate, reliquisque bonis moribus disferentem, contra impios scilicet & improbos oblatrantem. Eum igitur qui subfugitet & Sacerdotes, ingenio plurimum contumaci esse consentaneum est. *Canis Otidi inimicus quid.*

## DE ALCEDONE. CAP. XXII.

**A**lcedonem, quod hæcenus viderim, Ægyptii non posuerunt: ea vero apud Italos sua habet significata.

## TRANQUILLITAS. CAP. XXIII.

**Q**uorum vulgatum illud est, per Alcedonis nidum rerum quarumlibet tranquillitatem indicari: hæc à Plin. mare siquidem per dies circiter quatuordecim, quibus aviculæ illæ nidificant in littoribus incubantque, mira pacari serenitate compertum est. Est vero nidus ille miro artificio ex pisciculorum ossiculis & spinulis contextus, ad gladii cuiuslibet ictum incolumis, figura cucurbitæ, præter unum per exiguum cavum, qua ingrediendi & exeundi sit parentibus aditus: cætera conclusus. *lib. 10. c. 32*

## JUSTITIUM. CAP. XXIV.

**T**ransit & ad res civiles figuræ hujusmodi significatum: nam hæc ad maris varietates accommodantur: est enim justitii monumentum, ideoque à Plauto dictum, Alcedones esse juxta forum: *Plautus in Cassina  
Ad des ημεραν*